



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Largißimus in precatone pro aliis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

perfectionem, quàm intermitteret nūquam, sed
 in dies redintegrare curaret, vel ipsæ demonstrat
 literæ, in quibus quocunq; anni tempore scriptis
 vsitata clausula est, obsecrare, vt impetretur sibi
 facultas à Deo maiore cum perfectione sanctæ so-
 cietatis Vocationi faciendi satis, vtq; in Domini-
 ca messe cum fructu semper vberiore versetur.
 Porro qui tā liberalis erat in corrogandis sibi pre-
 cibus aliorum, nihilo erat parcior in suis vicissim
 hominum omni generi impertiendis. Quid ille
 gemituum, atq; piorum clamorum pro pericli-
 tante Germania, proq; Ciuitatibus singulis no-
 minatim, pro Hæreticorum Antesignanis, pro v-
 niuerso populo fundebat? Proprias item quotidie
 pro Romanis Pontificibus, & aliis Christianæ Rei-
 publicæ sacris, ac laicis Potestatibus, proprias pro
 Societatis Generali Præposito totaque societate,
 pprias pro iis, apud quos, & cū quibus ageret, pro
 periclitantibus, & morientibus, pro suis & socie-
 tatis obtrectatoribus, & aliis quam plurimis facie-
 bat: vsq; eo, vt supra quinquaginta collegisset, &
 adnotasset diuersa genera causarum, quas apud
 Deum supplex patronus ageret: cuperetq; iam se-
 nior indicem habere Germanorum omnium,
 qui

*Largissimus in
 precatione pro
 aliis.*